



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

2. Pegasus imago sapientiæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

Gratior est ei victoria sanguine parta; neque nescit majora periculis esse præmia; atque ut hæc desint, sua laude contenta, ipsa sibi sufficit. Verum est illud

Serpens, sitis, ardor, arenæ

Dulcia virtuti. Gaudet patientia duris.

Latius est, quoties magno sibi constat honestum.

Huc facit & illud alterius Poëtæ:

Quamlibet è medijs confurgunt lilia spinis;

Sic virtus ipsis crescit, ovâtque malis.

Cujus rei luculentum documentum Bellerophontes exitit, cui innocentia fiduciam, fiducia fortitudinem, fortitudo felicitatem peperit. Initium ei victoriæ Sthenobæa fuit, hoc est, mulier in omne flagitium parata; quam ubi superavit, potuit cum Chimæra depugnare: dubites, ultra palma fuerit difficilior, ultra clarior: nam mulier lasciva, opibus ac potentiâ subnixâ etsi blandior sit aspectu; est tamen ferocior insultu, nisi cedas volenti. Bellerophontis imagini symbolicè subscribas: *Vis & Virtus.*

II. (b) Quid est, quod *Pegasus*, ingenij ac eruditionis symbolum, ex horrido Medusæ capite, tabe fluente, ortum duxisse feratur? Difficilia sunt nimirum, artium omnium, præcipuè ingenuarum, initia, & horrorem incipientibus afferentia. Hoc videmus in puerulis primæ litterarum Rudimenta auspicantibus; quot nominum inflexiones, verborum conjugationes, generum discrimina sunt addiscenda, tot istis videntur Medusæ capita horrendo obtutu occurrentia. Deinde *Pegasus* unguâ percussit terram, & fontem produxit *Castalium*, Musis consecratum; ut intelligas, pulsu & percussu, hoc est, labore ac contentione bonas extundi artes; meritoque Sapiencia ac doctrina fonti comparatur à Salomone Prov. 18. *Aqua profunda, verba ex ore viri: & torrens redundans, fons sapientia.* Et Siracides c. 21. *Scientia sapientis tanquam inundatio abundabit, & consilium illius, sicut fons vita permanet.* Ubi notandum, quod fons suam concham primò impleat, deinde exundantem aquam diffundat, & cum alijs communicet: Sic & Sapiens primò mentem suam, deinde aliorum sapientiâ imbuit, juxta illud S. Bernardi: Ductor sit concha, non canalis, qui nihil aquæ retinet, sed totum, quod recipit, effundit. Equidem sicut aqua terram, plantas, animalia, homines sitientes irrigat, saturat, inebriat, vivificat, lætificat, fecundat; ita Sapiencia mentem pulcherrimarum rerum cognitione ditat,

(b) *Pegasus imago Sapientia.*

tat,

tat, ornat, efflorescere facit. Eleganter Horatius lib. 4. Od. 2.
 Monte decurrens velut amnis, umbres
 Quem super notas aluere ripas,
 Fervet, immensusque ruit profundo,
 Pindarus ore.

Hinc etiam discis, nullam esse tantam difficultatem, quæ consilio & magnitudine animi superari non possit. Nihilque tam arduum, tamque inaccessum existere, quod ingenij dexteritate attingere, & assequi non queas. Vide Alciati emblemata 14. Unde Bellerophonta dictum putans, quasi *Βυλκφόροντα*, sapientem consultorem vel *τὰ βέλλεγα φέροντα* mala ferentem

III. (c) Præterea Pegasus Aurora à Jove obtinuit; quò significatur vigilantum esse Sapientiam quærenti; est enim, juxta adagium, *Aurora Musis amica*. Sapientissimus regum profatur: *Qui de luce vigilaverit ad illam (Sapientiam) non laborabit; assidentem enim illam foribus suis inveniet* Sap. 6. Est enim tempus matutinum aptissimum disciplinis hauriendis; *assidet quasi Sapientia foribus*, dum ultro affluunt optima sensa menti; quæ alio tempore multo labore conquirenda. Manè corpus omne studijs habilis, caput defæcatum, stomachus exoneratus, tempus quietum, animus à diurnis negotijs vacuus, vegetiores omnes sensus. Hinc aurora in effedo, Pegaso & gallo illud trahente, facem manu extollens pingitur, cum lemmate: *Doctrina præco*. Veteres docebant, ad auroram cum Dijs versandum; quibus illud solenne: *à Jove principium*. Credebant enim Jovem primò manè operam dare hominum audientia. Hinc Æneid. 11. Æneas

Vota Deum primò victor solvebat Eoð.

Id est, principio diei; quod maxime faciendum Musarum cultoribus, quarum, ut *apertas*, quod dicitur, *Iannas habeant*, summo mane pulsent eas. Et Manna illud cœleste Exod. 16. ante solis ortum erat colligendum. Sic dulces litterarum fructus gustantur ab illis, qui surgenti soli vel Auroræ *matutinum* ferunt *Ave*, quod suis olim Patronis Romani clientes factitabant.

IV. (d) Sed cur *alatus* Pegasus, & in cœlum evolans, ibique sideribus additus dicitur? Hic doctrinæ volatus est, præsertim si altera illi sit ala, virtutis scilicet, conjuncta; Pennas addit *Fama*, & gloria in terris propagata. Vennsinus lib. 2. Od. 2.

Illura

(c) *Aurora Musis amica*. (d) *Pegasi in cœlum translatio, & ala, denotant honores litterarum.*